

## II. SENECA LŪCĪLIŌ SUŌ SALŪTEM

EXORDIUM :  
dē  
compositā  
mente

<sup>1</sup>Ex iīs quæ mihi scribīs, et ex iīs quæ audiō, bonam spem dē tē concipiō : nōn discurre, nec locōrum mūtātiōnibus inquietāris. <sup>2</sup>Ægrī animī ista jactātiō est ; primum argūmentum compositæ mentis, existimō : posse cōsistere et sēcum morārī.

Distringere  
librōrum  
multitudinem

<sup>1</sup>Illud autem vidē : nē ista lēctiō auctōrum multōrum et omnis generis volūminum habeat aliquid vagum et īnstabile. <sup>2</sup>Certīs ingeniīs immorārī et innūtrīrī oportet, sī velīs aliquid trahere quod in animō fidēliter sedeat. <sup>3</sup>Nusquam est quī ubīque est. <sup>4</sup>Vitam in peregrinātiōne exigentibus, hoc ēvenit : ut multa hospitia habeant, nullās amicitias. <sup>5</sup>Idem accidat necesse est iīs quī nullius sē ingeniō familiāriter applicant, sed omnia cursim et properantēs trāsmittunt.

<sup>1</sup>Nōn prōdest cibus, nec corporī accēdit, quī statim sūmptus ēmittitur ; nihil æquē sānitātem impedit quam remediōrum crēbra mūtātiō ; nōn venit vulnus ad cicātricem in quō medicāmenta temptantur ; nōn convalēscit planta quæ sæpe trāsfertur : nihil tam ūtile est ut in trānsitū prōsit. <sup>2</sup>Distringit librōrum multitudō ; itaque cum legere nōn possīs quantum habueris, satis est habēre quantum legās.

Ūnum  
excerpat

<sup>1</sup>« Sed modo, inquis, hunc librum ēvolvere volō, modo illum. » <sup>2</sup>Fastīdientis stomachī est multa dēgustāre ; quæ ubi varia sunt et dīversa, inquinant, nōn alunt. <sup>3</sup>Probātōs itaque semper lege, et sī quandō ad aliōs dēvertī libuerit, ad priōrēs redī. <sup>4</sup>Aliquid cotīdiē adversus paupertātem, aliquid adversus mortem auxiliī comparā, nec minus adversus cēterās pestēs ; et cum multa percurreris, ūnum excerpe quod illō diē concoquās.

<sup>1</sup>Hoc ipse quoque faciō ; ex plūribus quæ lēgī aliquid apprehendō. <sup>2</sup>Hodiernum hoc est quod apud Epicūrum nāctus sum. <sup>3</sup>Soleō enim et in aliēna castra trānsire, nōn tamquam trāsfuga, sed tamquam explorātor. <sup>4</sup>« Honesta, inquit, rēs est læta paupertās. »

PERORATIO :  
Dē vērā  
paupertās

<sup>1</sup>Illā vērō nōn est paupertās, sī læta est ; nōn quī parum habet, sed quī plūs cupit pauper est. <sup>2</sup>Quid enim rēfert quantum illī in arcā, quantum in horreīs jaceat, quantum pāscat aut fēneret, sī aliēnō imminet, sī nōn acqūisita sed acqūirenda computat ? <sup>3</sup>Quis sit dīvitiārum modus quæris ? <sup>4</sup>Prīmus habēre quod necesse est, proximus quod sat est. <sup>5</sup>Valē.